

Biogr. er. D

1555, 100

78/

LECTOREM BENEVOLVM
AD
ORATIONEM
ENCOMIASTICAM

CRAS HABENDAM
STVDIOSISSIME INVITAT



ET

HAC PROLVSIONE
CODICEM MS. GVALTERI
DE CASTELLIONE

RECENSET

IOHANNES ANDREAS MICH. NAGELIVS P. P.



ALTDORFII NORICORVM

PRELO IOHANNIS ADAMI HESSELI ACADEMIAE A TYPIS.

Biogr. erud.
D. 1555, 100

144. Erud. fmg. Alt. Lan. - Laz.

LECTOREM BENEVOLOM
AD
ORATIONEM
ENCOMIASTICAM

GRAS HABENDAM
STVDIOSISSIME INVITAT

ET

HAC PROLVSIONE
CODICEM MS. GVALTERI
DE CASTELLIONE

RECENSIT

IOHANNES ANDREAS MICHEL NAGELIUS P. P.

~~ALTDORFI NORICORUM~~

ALTDORFI NORICORUM

PRÆF. IOHANNIS ADAMI HESSELI ACADEMIÆ A TYRS.

75,46

§. I.



Est inter codices MSS. bibliothecae Altorfinae GVAL-
 TERVS de Castellione, Insulanus, de cuius uita uid.
Ioh. Alberti Fabricii bibl. Latina mediae et infimae ae-
tatis libro VII et VIII, pag. 328. Scriptus est liber, in
 charta, in folio et editioni destinatus fuit. Vt uero
 ratio huius codicis eo melius pateat, adscribemus totum
 libri titulum, qui hic est: *Historiarum rerumque bellicarum Alex-*
andri Magni Macedonis, Graecorum Regis. libri X. carmine heroico
magnifice doctēque conscripti authore Gualtero Castellienſi. Poeta quondam
clarissimo. ad R. D. Guilielmum olim. Senonensem. postea uero Archiepi-
ſcopum in Galliis Remensem ex antiquissimis manuscriptis exemplaribus se-
dulitate atque labore R. D. Hinrichi Dudenii. Imperialium et exemptorum
monasteriorum Werdenensium et Helmenstedensium Abbatis. cum eiusdem
ſcholiis ac elucidationibus adiunctis in communem studiosorum usum commo-
dumque in lucem editi. Anno a uirgineo partu 1588 Helmenstadii. Clarum
 itaque et comprehensum est ex hoc titulo, librum hunc ad editionem
 paratum fuisse. Neque uero hanc editionem umquam publicatam esse
 censemus. Quantum enim nobis constat, GVALTERVS quater dun-
 taxat typis expressus est. Tres eius editiones typis excusas enarrat
 FABRICIUS l. c. pag. 329: *Post editionem, inquit, Argentinensem*
an. 1513, 8, hos libros uulgauit Osualdus Eck, dicauitque Alberto,
Comiti Palatino Rheni, et Duci Bauariae, Ingolſt. 1541, 8, ex officina
Alexandri Weiſſenborn. Hanc editionem cum uariis lectionibus, adscriptis
manu Christiani Daumii τὸ μακαρίτη, qui huius scriptoris editionem cogi-
tabat, possidere se testatur V. C. Christophorus Heumannus in conspectu reip.
literariae pag. 65, et in actis Philosophorum parte XV pag. 371. Deni-
que Gualteri Alexandreis lucem uidit Lugd. 1558, 4, singulari et nitido ty-
porum caractere, qui propius accedit ad currentes literas, quibus in
 scri-

scribendo utimur. Neque alias editiones annotavit AVBERTVS MIRAEVS ad HENRICVM GANDAVENSEM descriptoribus ecclesiasticis pag. 165 seq. ubi ita commentatur: *Binos Walteros, siue Gualteros, Insulae (quae urbs est Gallo-Flandriae, mercatu celebri) natos recenset Henricus Gandauensis, eumque secutus Sixtus Senensis. Sed Valerius Andreas in bibliotheca Regia censet, unum eundemque fuisse, qui hoc capite 20 et cap. 19 memoratur, dicitque claruisse circa annum millesimum ducentesimum quinquagesimum quintum. Exstant autem libri decem Alexandreidos siue de gestis Alexandri Magni a Philippo Gualtero Castellionensi, uersu heroico, non infelici, ad Guilielmum Remensem Episcopum scripti; Argentorati 1513, Ingolstadii, et Lugduni 1558 typis editi. Cui loco MIRAEI b. MAGNVSDANIEL OMEISIVS sequentia addidit: quod de Sixto Senensi perhibet Miraeus, id in eiusd. biblioth. non inuenio. Videatur pag. 290. His tribus literarum typis proculis, et ab aliis indicatis exemplis, nos addimus quartum, quod hunc titulum gerit: Alexandris siue gesta Alexandri Magni libris X comprehensa auctore Gualtero de Castellione, editio altera. Superiorum permissu. Typis Monasterii S. Galli, excudebat Iacob Müller. Anno partae salutis 1693. Forma uero libelli est duodecima. Quod si autem uerba editio altera ad editionem aliquam priorem in Monasterio hoc curatam spectent, nostra editio esset quinta. Describemus hanc editionem hic paullo uberius, quod haud nouimus eius mentionem alias factam esse. Incipit ea a praefatione typographi, in qua et subsidia huius editionis recensentur, et de GVALTERO iudicium fertur. Communicabimus haec cum humano lectore. Sic uero differit typographus: *In hoc edendo nactus sum exemplaria duo MSS. uetusta, alterum ex bibliotheca celebri Monasterii Montis Angelorum, Ordinis S. P. Benedicti, a R. imo eiusdem Coenobii, eruditissimoque Abbate mihi communicatum, alterum uero ex nostra, id est S. Galli uetere armario d. promptum, et glossa interlineari explicatum, quam**

et

et prius illud exemplar, sed rariorem habet; - - *Ut tamen in rebus humanis nihil est ex omni parte beatum, ita sunt in hoc opere, quae displicere possint politioribus. Equidem ut de iis taceam, quae necessitas extorsit, uti sunt topographus, Mesopotamia, Ierusalem etc. tantus auctor beneficio caesurae utitur forte nimis frequenter. Deinde Graecorum uocabulorum fuit negligentior - - Erant et inusitata quaedam, et obsoleta uerba Latina, pauca tamen, quorum loco, ne uestis splendida his quasi maculis fuscaretur, alia substitui, (quod tamen nobis et sine dubio etiam aliis arbitris rectius praetermissum fuisset) illis interim in marginalia plerumque relatis, praeter ablatium, mediante, qua uoce, quia saepius utitur, delectatus esse uidetur. Posthaec legitur epistola GVALTERI sed in prosa. Huic comes est epitaphium, quod sibi fecisse dicitur GVALTERVS, cuius primus tantummodo uersus ab HENRICO GANDAVENSI, tamquam monostichon, prolatus est, a SEBASTIANO autem LINCK apud FABRICIVM l. c. pag. 328 in nota prius dumtaxat distichon publicatum, totum autem sic habet editio *Monasterii S. Galli: MS. Engelbergense quod sequitur, habet epitaphium; istud scripsit, seu fecit Gualterus, auctor huius libri, antequam carmen incepisset, quia timuit morte praeueniri.**

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen,

Pertremuit modulis Gallia tota meis.

Gesta Ducis Macedum scripsi, sed syncopa fati

Inceptum clausit obice mortis opus.

In disticho priori loco uocis, *pertremuit*, SEBASTIANVS LINCK publicauit, *perstrepuit*. In fine libelli haec habentur typographi: *Dum librum concludo, ecce beneuole lector, eorum imperio, quibus me parere oportet, iniungitur, ne quid minus ex fide MS. exemplarium fecisse uidear, ut uersus etiam deprauatos uel leuiter mutatos, substitutis, sed alio subinde caractere uocabulis fideliter adnumerem, id quod factum uolo. Itaque praeter ea, quae in marginalibus adferuntur,*

in utroque MS. sic lego. Adest deinde ipse hic index uersuum mutatorum cum lectionibus MSS.

§. II.

Progredimur iam et redimus ad recensioem MS. Altorfini GVALTERI. Possedit id olim IOHANNES SAUBERTVS, filius, ex cuius bibliotheca id sibi comparauit MAGNVS DANIEL OMEISIVS, unde tandem in bibliothecam nostram Academicam peruenit. OMEISIVS, in fronte libri testimonia nonnulla de GVALTERO, nimirum HENRICI GANDAVENSIS, MIRAEI, et IOSIAE SIMLERI annotauit. Posthaec titulus libri a nobis ante allatus, reperitur. Deinde, omissis praefatione prosa, quam editio nostra Gallensis habet, et epitaphio MS. Engelbergensis, ipsa Alexandreis ab argumento libri primi ita incipit: *Historiarum siue gestorum Alexandri Magni Macedonis Graecorum Regis liber primus. Argumentum in librum primum; sub finem libri decimi post uersum: Stelliferum quatunt, agitando tonitrua fratres, addita sunt haec: Finis libri decimi et ultimi; et pagina sequenti: Authoris peroratio finalis; ac denique post uersum: Phoebus anhelantes conuertit ad aequora cursus, sequentia leguntur: Author colophonem imponit.* Ceterum MS. hoc Altorfinum quodammodo cum illis conuenit, quae in praefatione editionis Gallensis descripta sunt. Instructum enim est glossa interlineari, sed praeterea notis in peculiaribus schedis foliisque libro inculcatis, scriptis, et lectionis uarietate, quae in margine notata est.

§. III.

Dabimus rei specimen argumento in librum primum, ita tamen ut hic glossa interlinearis uersibus subiiciatur.

Pri-

Primus 1) Aristotelis imbutum 2) nectare sacro 3)
 Scribit 4) Alexandrum, * sceptrisque insignit 5) et armis,
 Cecropidas 6) a) regi rursus confederat arces
 *Diruit Aonios 7) b) numerosa classe 8) profundum
 Intrat, et appellens 9) Asiam de naue * sagittat. 10)
 Parcendumque 11) ratus, hostem sine Marte 12) triumphat 13)
 Elatusque animo 14) sub sole iacentia regna
 Iam sibi parta putat, Asiam de uertice montis
 Inspicit, et patrias partitur ciuibus 15) urbes, 16)
 Pergama 17) miratur, et somnia uisa retractat. 18)

§. III.

Sed iam indicandum id est, cuius causa in primis haec praefatio a nobis exarata est. Surget nimirum cras, et haud indilerto encomio VIRVM genere, titulis meritisque ILLVSTREM atque EXCELLENTISSIMVM, DOMINVM PAVLLVM IACOBVM MARPERGE-

* sceptrisque, al. sceptroque * Diruit, al. obruit * sagittat, al. salutat.

Gloss. int. 1) liber. 2) repletum 3) sacra et dulci doctrina. 4) in se scriptum ostendit. 5) insignitum eum ostendit. 6) Athenienses. 7) Thebanos. 8) nauium multitudine. 9) applicans. 10) Sagitta percutit, uel alias salutat. 11) s. hostibus. 12) sine conflictu 13) triumphando deuincit. 14) habens animum elatum. 15) militibus 16) s. patriam suam. 17) latitudinem Pergamorum. 18) quomodo dominus ei apparuerit in somniis memorat.

Scholia. a) Cecrops primus fuit Atheniensium rex, qui Athenas condidit, unde urbs Cecropia dicta est, et incolae Cecropidae dicti. b) Aon Neptuni fuit filius, qui imperauit populis circa montes Aonios, in Boeotia habitantibus, unde una cum montibus Aones uel Aonii dicti. Aonii quoque dicti Thebani.

GERVM DE SCHIEBELSBERG, S. CAESAREAE MAIESTATIS
 AC LIBERAE REIPUBLICAE NORIMB. CONSILIIS ITEMQUE
 INCLVTI CIRCVLI FRANCONIAE ABLEGATVM celebrabit
 Dom. PHILIPPVS ALBERTVS CHRISTFELS, Wechingensis,
 bonarum artium et theologiae cultor solertissimus. Quemadmodum
 autem neminem facile fugit quanta sint merita Domini de MAR-
 PERGER in rem communem, qua liberalitate reditus bibliothecae
 Altorfinae forte mille florenorum auxerit, et quot beneficiis pauperes
 literarum cultores, atque inter eos sigillatim CHRISTFELSIVM,
 affecerit, atque ex quibus fauoris indiciiis erga hanc Academiam, ea sibi
 et in posterum noua munificentiae EIVS documenta, et perpetua
 gloriae MARPERGERIANAE monumenta promittat: ita quoque
 diligentia CHRISTFELSII, et culta quam dicet, oratio, digna
 sunt, quibus abunde faueatur. Vnde et spero, et debita obseruantia
 studioque rogo, ut MAGNIFICVS ACADEMIAE DOMINVS
 RECTOR, GENEROSISSIMVS agri opidique Altorfini DOMINVS
 PRAEFECTVS, CELEBERRIMI DOMINI PROFESSORES, et
 CIVES ACADEMICI genere uirtute et doctrina FLORENTISSIMI,
 orationi interesse, eamque honorifica praesentia sua
 exornare, uelint.



P. P. D. XXVIII Martii A. O. I. CXCCLVII.

Small white rectangular label or mark in the bottom right corner of the page.